XXXI.

2

Diſcurſus Phyſicus

ΛΥΚΑΝΘΡΩΠΙΑΝ

Quam nonnulli in Livonia circa Natalem Domini verè fieri narrant, falſiſſimam eſſe demonſtrans.

Quem

Placido Eruditorum examini ſiſtunt

PRÆSES

M. MICHAEL MEJ

Rigâ Livonus.

ET RESPONDENS

ÆGIDIUS Strauch/

Wittebergenſis.

Ad diem 28. Decemb. loco horiſq; conſvetis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. L.

Google

In Nomine Jeſu!

NIbil tam inconveniens in ſcenam produci poteſt, quod ſuos, inter vulgus præſertim, adſtipulatores non inveniat. Huic ordini, ſi Λυκανθρωπίαν illam, utut decantatisſimam, tamen vanisſimam accenſuero, non utiq; longè à vero, hac quidem in parte, me aberraturum, confido. Adeo enim famoſisſima illa, ſed falſisſima tamen per Livoniam metamorphoſis, hominum nonnullorum, in exteris degentium oris jam pervaſit animos, ut ſi vera dicere præſumas, illi falſa objicere; Si rem rationibus probari exigas, ipſi narratiunculas quasdam experientiâ teſtium ἀξιοπίστων (ut ipſi ajunt) firmatas, ſine omni tamen ratione, in medium producere, non erubeſcant. Nonne hic loci apud eos locorum diſtantia multos eosq; plane abſurdos tegit errores? Apud Neuros Scythiæ populos Lycanthropos reperiri Herodotus ſcribit, ſed ſcribit. Apud Livones multi Lycanthropos inveniri literis produnt, ſed ſine omni ratione ac poſſibilitate produnt. Multi experientiam jactant, ſed cum ad teſtes producendum oculares ventum fuerit, ipſi, qui teſtium quaſi ſatellitio ſe ſtipatos venditabant; plerumq; anilibus iisq; admodum futilibus (ſi rem penitus introſpicere ſentes) niti fabulis, deprehenduntur. Ita ſanè fieri neceſſum eſt iis, qui omnia vel alienis vident oculis, vel alienis audiunt auribus, ut veritatem vel non inveniant; vel, ſi ipſis eam tandem invenire contingat, inventam tamen, ut Gallus Æſopicus repertum unionem non cognoſcant, cum animum abſurditatibus multis præpeditum, circumgeſtent. Usq; adeò credula turba ſumus, ut vulgarium hominum placitis, quæ ſæpisſimè nil niſi deliria præ ſe ferunt, ſine ulla etiam ratione, acquieſcamus, perſuaſione vanisſima decepti, ac ſi XII. â Natali Domini proximis diebus Magi verè in Livonia, relictâ forma hominis, & lupina iterum aſſumpta, campos divagentur, irruptiones in-

greges obvios moliantur, pecora dilanient, quibus ita ritè peractis priſtinam hominis formam induant, ſueq; commiſſa cura domeſtica abhinc negotia pertractent. Nullum ſanè mirum ſuperſtitioſæ etiam hanc metamorphoſin posſibilem antiquitati creditam fuiſſe. Ita fallere & falli nos neceſſe eſt, ſi narratiunculas omnes hiſtorias eſſe exiſtimemus. Plinius Demarchum pueri immolati extis degustatis, in lupum fuiſſe converſum, commemorat. Homines ululaſſe lupis nuper additos, flere volentes, Boetius refert. Apud Melandrum in jocoſeriis, Herodotum, Ovidium, Bodinum, Olaum Magnum &c. Similia reperies. Nos in præſentiarum illud Pythagoræ, cum per publicam non incedendum eſſe viam monet, obſervantes, deliria vulgi non tam numerabimus, quam ponderabimus, viam publicam nondum ſatis hactenus tritam relinquemus, veſtigia tantæ in veſtigando rei, Lycanthropiam verè transmutatoriam (quæ diſcurſus noſtri hac vice materies erit, alterâ illâ Sathanicè illuſoriâ ſeu præſtigiatoriâ eadem explodentes opera) omninò naturam tranſcendere, eiq; nullam hac in parte δύναμιν transſcribi poſſe ſequentibus nonnullis evincere rationibus conabimur.

I. *Quicquid ſimpliciter eſt impoſſibile, illud nullo fieri poteſt modo. Animam hominis informare corpus lupi, ſimpliciter eſt impoſſibile E. Id nullo fieri poteſt modo. Majorem* hujus extra omnem controverſiæ poſitam eſſe aleam, exiſtimamus. Cum ſimplex *ἀδυναμία*, omnem præſcindat *δύναμιν*, uti manifeſtum eſt. *Minorem* probamus; major animæ noſtræ eſt præſtantia, major excellentia, major etiam dignitas, quam ut relicto ſuo nobilisſimo habitaculo, bruti corpus informare præſumat. Abjiceret ſeſe infra dignitatem ſuam, ipſa ſuo arbitratu, vilius quam conceſſum erat, domicilium, acquireret. Neq; enim illud materia, quæ ad certum actum eſt determinata, patitur, neq; forma, quæ in alienis materiæ diſpoſitionibus eſſe nequit, illud admittit. *Proportio enim*, ait Excell. Experientiſſ. ac Clarisſimus Noſter Phyſicus Sperlingius Præceptor noſter ætatem colendus. q. 4. pag. 47. Anthropolog. *Inter materiam & formam perpetuò neceſſaria, neq; fieri poteſt, ut forma quercus informet materiam ferri, aut forma canis materiam lapidis.*

II. *N. anima è corpore in corpus poteſt migrare; anima hominis*

minis

minis eſt anima. *E. Anima hominis non poteſt è corpore in corpus migrare. Major* usq; adeò manifeſta eſt, ut nulla probatione egeat, ſed cuilibet oppido pateat, niſi abſurdam & diu jam exploſam illam Pythagoricam μετεμψύχωσιν poſtliminiò velut, velimus revocare. Primum, inquit Dn. D. Dannhaw. Colleg. Pſycholog. controverſ. V, pag. 27. ſeq. Authorem transanimationis vulgò faciunt Pythagoram, id verò num verè ſtatuerit, num allegoricè aliud occultaverit; quemadmodum & Plato lib. 10. Polit. narrat, Orpheum, odio mulierum tranſiiſſe in cygnum, Thamyram in luſciniam, relinquimus in medio. Nihilominus certi ſumus, inhæſiſſe hanc opinionem multis Ethnicis, & oſculari eandem Ethnicorum ſimias Papiſtas. Sic enim ille apud Ovid.

Morte carent animæ ſemperq; priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantq; receptæ:
Ipſe ego nam memini Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram — — Foverunt eandem opinionem Phariſæi teſte Joſepho lib. 2. de bello Jud. c. 7. & Herod. Matt. 14, 2. Marc. 6, 14. Sic in legenda Pontificiorum in Vita Conradi & Udalrici, commemoratur, quosdam in avibus, quæ in aquarum vertice quodam crebro immergebantur, animas duas incluſas eſſe intellexiſſe & eas miſſis liberaſſe. Idem ſenſerunt Carpocratici teſte Epiphanio T. 2. l. 1. Hæreſ. 27. Gnoſtici etiam Marcionitæ apud eundem T. 3. l. 2. hæreſ. 42. De *minori*, nullus ſaniorum dubitat: niſi quis ſolo diſceptandi pruritu etiam ea, quæ manifeſtiſſima ſunt negare præſumat. Quibus ſic immotè perſiſtentibus, concluſionem firmiſſimo perſtare talo neceſſum eſt.

III. *N. Forma ſpecifica duplicem eamq; ſpecie diſtinctam informare poteſt materiam; Anima humana eſt forma ſpecifica. E. Anima humana duplicem eamq; ſpecie diſtinctam non poteſt informare materiam Major manifeſta eſt.* Sic anima humana uti præſtantiſſima, ita præſtantiſſimam ſibi materiam vult concedi. *Anima* brutorum uti vilior, ita viliorem etiam quam informet, materiam requirit. Nulla enim contingere poteſt via vel ratione, ut *forma* hominis ſpecifica, quæ *tria dat homini, eſſe rei*

 ſpecifi-

ſpecifi.um; diſtingui ſpecificum, & operari ſpecificum ac proprium, alteri eodem poſſit materiæ mo*d*o communicare. Impoſſibile igitur eſt, hominis corpus; quod debitis ad animam diſpoſitionibus & certa quantitate eſt determinatum, alterius formæ ſc. lupinæ capax eſſe poſſe, cum non quodlibet cujuslibet ſit receptivum, ſed certa ſemper inter materiam & formam convenientia ſeu proportio adſit oportet. Et nonne ſic duæ oppoſitæ ſpecifice differentiæ eodem reſpect*u* unicam actu ſpeciem conſtituerent? Cum aliàs manifeſtum ſit, quod, ubi una numero forma obtinet, quod & unicum ſolummodo individuum ibi eſſe deprehendatur. Unitas ſiquidem individualis in vivente, conſervatur potiſſimum ab anima, ſi iam una numero forma & in homine & in ave transanimationis vi inveniatur. E. unum utrobiq; erit individuum. E. quidam qui mortuus eſt, non eſt mortuus. *ἀντιφατικόν*.

IV. *Quicunq; nulla vera edere poſſunt miracula, illi ſpeciem in ſpeciem transmutare nequeunt. Diaboli nulla vera poſſunt edere miracula. E. Diaboli ſpeciem in ſpeciem transmutare nequeunt. Major* patet; quia ſpeciem in ſpeciem mutare, quid eſt aliud quam miracula edere maxima? Ad quam ipſam transmutationem requiritur prioris annihilatio, illud enim hoc præſupponit; ac immediata poſterioris creatio, quæ infinitæ ſolum eſt ac omnipotentis virtutis. *Minor.* Sit licet inuſitatos quam ſæpiſſimè producant effectus, eosq; vel maximè prodigioſos; quum difficillimum ſit (quod alicubi dicit Auguſtinus) homini intelligere, quousq; ſe diaboli poteſtas extendat, de qua Job. 41. vſ. penult. Non eſt ſupra terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret; vera tamen nullo modo miracula dici poſſunt, quæ à dependenti & finito, cujus potentia in certo factibili terminatur, atque ad certum agendi modum, quem excedere non poteſt, limitatur: ſed ſolum ab independenti, infinito ac omnipotenti effici poſſunt ſpiritu. Non poſſunt, ait Delrio. l. c. pag. 103. lit. D, operari abſolutè mira, quia nihil revera abſolutè &

per

per ſe mirum, quod non idem ſit miraculum, quo ſenſu illud prolatum Propheticum, Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus Pſ. 71, 18. & illud, qui facit mirabilia magna ſolus. Pſ. 135, 4. intelligendum.

V. *Quicquid diabolus omnium malorum mille architectus verè ac realiter præſtare non poteſt, illud neq; magi diſcipuli ejus verè ac realiter præſtare poſſunt. Atq; ſpecierum transmutationem ac ambiguorum luporum productionem Diabolus omnium malorum mille architectus vere ac realiter præſtare non poteſt. E. Specierum transmutationem ac ambiguorum luporum productionem neq; magi diſcipuli ejus verè ac realiter præſtare poſſunt.* Majoris collectio firmiſſimis nititur tibicinibus. Minorem ita confirmamus. Ad materialem hominis in lupum mutationem requiritur ejus corruptio & lupi generatio. Phyſica autem animalis generatio, quæ actio eſt corporis viventis ſeſe ab interitu vindicare volentis, Sathanæ, qui omnibus ad hanc rem neceſſariis mediis deſtitutus; nulla transſcribi poteſt ratione. Nullus enim diabolo, verum, reale ac Phyſicum corpus, cum ſpiritus ſit, debitis ad Phyſicam operationem affectionibus organisq; diſpoſitum, aſſignabit. Deinde poſito, non tamen conceſſo, diabolum hanc transmutationem præſtare poſſe, quomodo autem hoc ipſum præſtare poterit, quæſtio eſt? *Vel enim naturaliter, vel ſupernaturaliter hoc ipſum efficiet. Quod non priori modo,* patet. Impoſſibile enim eſt, lupos, canes &c. ſine horum animalium produci poſſe ſemine. Atteſtante hoc ipſum Experientiſſ. ac Clariſſ. Medico ac naturæ indagatore Sennerto, cum c. 12 de Conſ. & Diſſ. Chymic. cum Ariſt. & Galen. ſic ait. Ad omnem quidem propagationem plantarum & animalium, requiritur certa & peculiari modo diſpoſita, ſeu οἰκεία ὕλη, per quam forma ſe propagare poſſit. Sennerto calculum ſuum adjicit Sperlingius Inſtit. Phyſ. l. 2. c. IV q. 10. Non naturaliter, quia natura feles, lupos, canes producit, non niſi per ſemina horum animalium. Ipſa etiam hoc confirmat natura, quæ in corporum generatione ſemper materiam prærequirit cum certa forma combinatam. Nam ex nihilo naturaliter nihil fit, ſed certum ex certo, determinatum ex

deter-

determinato. Omnibus plantis certa generationis ac propagationis materia competit, ergò & ſemen; ſi jam plantis hoc competere concedendum eſt, quo jure hominibus & reliquis denegabitur animantibus? lib. 1. de generat. Animal text 8. Βȣ́λεται, inquit, δὲ τοιȣ̃τον τὴν Φύσιν ἔιναι τὸ σπέρμα ἐξ ȣ̃ τὰ κατὰ Φύσιν συνιςάμενα γίνεται πρώτȣ: tale autem ſua natura ſemen eſſe requiritur, ut ex eo primo oriantur ea, quæ ſecundum naturam conſtituuntur. *Quod nec poſteriori modo*, probatur; utique non diabolo, cujus in hoc ipſo agendi modo omnis præciſa eſt potentia, cum DEO unico unicè ſupernaturaliter agere competat, attribui poteſt. Præterea, quæ ſupernaturaliter fiunt, miraculoſe fiunt, quæ miraculosè fiunt, potentiam infinitam poſtulant. Unde ergo miraculoſa hominis in lupum transmutatio, quæ prioris in nihilum redactionem ac poſterioris immediatam creationem (ut ſupra monuimus) quæ non niſi infinitæ eſt virtutis, prærequirit, diabolo poſſibilis judicanda erit?

VI. Deniq; omnis forma ſpecifica ſuam determinatam habet materiam, adeò, ut in alieno ſubjecto eſſe non poſſit, niſi vis infinita acceſſerit. Quomodo igitur diabolus efficiet, ut forma ſpecifica hominis, ſit in lupo, aut contra forma lupi ſit in homine, quomodo dæmon efficere poterit, ut natura hominis ſit in lupi eſſentia? ἀδύνατα πάντα! Animalia imperfecta, muſcas, vermes, ranas & hujusmodi inſecta & alia &c. poſſe producere celeriter magos, non creando, ſed activa paſſivis applicando, teſtatur. Auguſt. lib. 3. de Trinitat. c. 7 Bonaventura & alij in 2. d. 7 Alex de Hales 2. p q 43 Thom. 1. p. q 114. a. 4. Solent autem hæc producere magi ex pacto per dæmonem activa paſſivis applicantem. Nam ipſi magi plerumq; neſciunt, quo iſta pacto gignantur: & cauſas ignorant, ut quando diabolus dat ſagis minutum pulviſculum, cujus in aerem jactu diverſæ ſpecies locuſtarum, bruchorum, murium, erucarum & ſimilium animalculorum variæ peſtes, ſtatim naſcuntur Delr. l. 11. q. XIV. pag. 137. jubet interdum primam, quæ obvia plantam ex agro illo, quem vaſtari volunt, evellere, aut gramen perdendæ arbori illidere, &

alias

alias tales nænias adhibere, quæ vim nullam habent naturalem.

VII. Ubi tamen hanc obſervatam volumus diſtinctionem neceſſariam, ne DEI omnipotentiæ aliquid hac noſtra *διασκεψει* detraxiſſe videamur. Diſtinguimus ergò *inter DEI potentiam infinitam*; qua DEO hanc transmutationis poſſibilitatem (ſi tamen hæc transmutatio ejus omnipotentiam confirmet) ultro, in canes, lupos, &c. concedimus. Veras etiam converſiones omnipotente virtute factas, ſacra nos docet pagina. Exemplum eſt Uxor Lothi in ſalis ſtatuam transmutata Gen. 19,26. Baculus Moſis in ſerpentem Exod. 4,3. Aqua in vinum Joh. 2,9. converſa. Conf. Delr. l. c. q. 18. p. 166. & Ravanellus Biblioth. S. Tit. COR. num. V. diſt. 1. Ubi ad exemplum Nebucadnezaris, qvomodo illud intelligendum, reſpondet. Junius item Orat. de Opin. & Stud. pag. 1149. *& inter potentiam diaboli finitam*, qua ei omnem *δύναμιν* bono jure, potentiæ ſuæ limitatæ ratione detractam eſſe exiſtimamus. Nec enim talem ſaltem perſvaſionem obtrudi nobis patiemur, qua dæmonem, vel ullam etiam hoc præſtare poſſe potentiam, credamus.

IIX. Audiamus itidem Excell. Dn. D. Scharfium lib. 3. Pneumat. q. 4. *Λυκανθρωπία*, inquit, Illa, quæ vulgo circumfertur, ſaltem præſtigiatoria eſt, qua diabolus hominibus ſuperſtitioſis illudit verè faſcinando, glaucoma objiciendo ſpectantibus, aut formam lycanthropi repreſentando. (Conf. Delr. l. c. q. 10. Quo autem pacto magi hæc mira per diabolum efficiant, ſiqvis ſcire deſiderat Conf, Delr. l. c. q. VIII.) ſimiliter & illa, quæ de magicis rerum converſionibus circumferuntur, aut nunquã ſunt viſa, aut quæ viſa ſunt, præſtigiatoria fuerunt, quibus oculus videntis fuit oblæſus faſcino, vel ſi oculus inviolatus perſtiterit, per agilitatẽ ſubdolè ſubtracta res videnda, ut non raro experimur, apud circumforaneos, hiſtriones, nigromanticos &c. Vid. etiam Junium l. c. Quibus autem regulis effectus præſtigiatorii deprehendendi docet. Delr. l. c. p. 107. Elegantiſſimè juxta ac prudentiſſimè Excell ac Clariſſ. Dn. Sperlingius Præceptor meus multis nominibus

 ſuſpici-

ſuſpiciendus Inſtit. Phyſ. c. 4. q. X. Fama, inquit, eſt per Livoniam & vicinas regiones annuatim proximis à Natali Domini XII. diebus homines luporum per errare ſpecie, campos divagari ac in pecora & armenta graſſari, obvia quævis dilaniando. Fama, inquit, eſt; quam verè in certi autoris fama uti ea ferè ſemper, ita & h. l. eſt fama. Verum enim verò licet incolis hanc λυκανθρωπίαν ſicut alia multa ſuperſtitioſa revera contingere perſvaſum ſit (ſi tamen ipſis perſvaſum ſit, hoc enim eſt, quod nunc non admittere laboramus) tamen apud prudentiores, non facile fidem habebit, ſed potius ſpeciem melancholiæ eam eſſe credendum eſt, ſi hominibus contingit; ſi verò opera diabolorum, permittente DEO ejusmodi lupi nocent, hominum transmutatio in beſtias opus non eſt, ait Camerarius c. LXXII. Horar. ſubciſ. cent. 1. pag. m 329. Fabulam potius quam hiſtoriam eſſe, ipſe Gvilhelmus Camdenus diligens Britanniæ deſcriptor, hanc λυκανθρωπίαν exiſtimat. Quod nonnulli, inquit, Hibernici & qui fide digni videri volunt, homines quosdam in hoc tractu quotannis in lupos converti affirmant, fabuloſum ſane exiſtimo, niſi forte illa exuberantis atræ bilis malitia, quæ lycanthropia medicis dicitur, corripiantur, quæ ejusmodi phantaſmata ciet, ut ſeſe in lupos transformatos, imaginentur. Unde & medici λυκάωνα ſeu λυκανθρωπίαν inter morbos numerant, quam Arabes (Chatrab) Latini Melancholiam vel inſaniam lupinam nominant. Del. q. XVIII. pag. 164. qui hujusmodi morbo laborant, hi magi non ſunt, & licet ipſi ſe lupos putent, lupinamque ſævitiem imitentur, alijs tamen, ut ſunt homines videntur. Nec ego aliud, (concludit h. l.) de lycaonibus in Livonia transmutatis opinari auſim.

IX. Decipiuntur autem, hi rei vaniſſimæ ac falſiſſimæ, incauti narratores, non obſervantes, lupos & reliqua animalia nonnulla circa hoc tempus libidinibus flagrare coitumque deſiderare, atq; hinc velut agmine facto diſcurrere, irruptionesq; in armenta pro more ſibi ſolito facere, obvia diſcerpere, diſcerpta devorare. Lupos autem veros eſſe, confirmat Camerarius ex Wiero de præſtigiis dæmonum l. 3. c. 10. Ita enim

l. c. Si,

l. c. ſi, inquit, qvi obvagari in Livonia & locis finitimis videantur lupi noxij, ij certe vel rem ſunt lupi, in ejusmodi tragoediam excogitati à dæmone, qui interim horum vagis erroribus & actionibus delirorum λυκανθρώπων phantaſiæ organa imbuit, vitiatq;, ut ij ſe eſſe excurſionum erronearum & actionum authores corrupta imaginatione arbitrentur, fateanturq; quod quidem diabolo non eſt difficile ex λυκανθρωπίας morbo, cuilibet conſtat, dum humores & ſpiritus in hæc ludibria idoneos commovet, potiſſimum quibus atræbilis nebulæ cerebrum vitiare ſolent, cujusmodi exiſtit fatuum, monſtroſumq; id genus hominum. Accedit frigus hic loci intenſisſimum inſenſisſimumq;, campi itidem nive ceu veſte tecti, pecora caſis, ne frigore pereant atq; perimantur incluſa, unde, ut frigoris propulſent injurias discurrunt, cumque ventrem ſtomachumq; ex campis ſatiare ob nivis copiam, quo nulla paſtum in campis abigere atq; paſcere poſſunt hoc tempore pecora, prohibeantur, utiq; fame premente, quaſi rabie agitati coguntur in obvia quævis proxima ruere, cuniculos etiam ſub caſis, nec ſatis curioſè lapideo jacto fundamento firmatis, ſuperſtructis, animalia bruta ſervantibus, agere, eas ingredi, pecora invadere, dilaniare, atq; paſtum famelici quærere. Et quis cauſas aliàs, nulli non obvias, huc adferet? Hæc ſc. eſt illa famoſisſima lycanthropia, hæc illa vera ſc. metamorphoſis.

X. Ita etiam Clariſſimus Bersmannus in annot ſuis ſuper metamorph. Ovid. fab. 2. Certos homines, inquit, quotannis lupos effici, & rurſus ad priſtinum habitum redire, vulgo perſvaſum eſt. Et hic quoq; apud Boruſſos fama eſt tales inveniri, è quibus nuper unus fuit captus & Duci Pruſſiæ adductus à ruſticis, quorum jumenta dilaniaſſe credebatur. Erat homo deformis, nec multum abſimilis feræ, habebatque vulnera in facie, quæ ſe accepiſſe dicebat morsus à canibus, ubi in lupum fuiſſet mutatus. Is à quibusdam, quibus Princeps id negotij dederat, interrogatus, ajebat, ſe quotannis bis ita mutari ſolitum, primo circa Natalem Chriſti, deinde circa Feſtum Johannis Baptiſtæ, illisq; temporibus ſe efferari,

& cogi impetu quodam naturæ verſari in ſilvis inter lupos, maximo autem horrore ac langvore corporis ſe affici, antequam pili erumperent, & forma mutaretur. Hæc affirmanti credita ſunt, ſed cum ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur, ac diligenter obſervaretur, retinuit ſemper eandem quam habuit formam. Is fuit exitus fabulæ. Unde conſtat, quæ de ambiguis lupis narrantur eſſe falſa, utpote, quæ homines mente capti ſibi imaginantur.

XI. Notatu digna ſunt Peuceri de lycanthropis verba lib. de Divinat pag.170. Viſa, inquit, & nobis fabuloſa eſſe & ridicula, quæ de hac metamorphoſi hominum migrantium in figuram luporum ſæpe narrari audivimus, ſed non prorſus futilia & falſa eſſe de certis & exploratis indicationibus teſtium ἀξιοπίςων comperimus, qui accidere tale quid proximis à Natali die XII.diebus annuatim per Livoniam & vicinas regiones, certò cognoverunt ex confeſſionibus plurimorum, qui ex numero illo propter ſcelera comprehenſi & tormentis examinati fuerunt. Sed quantum confeſſionibus torturâ expreſſis fidei ſit habendum. Philotæ apud Curtium (non tamen hujus farinæ hominis ſed egregij bello viri) lib.6.c.11 n.21. nos docet exemplum. Ita enim Curtius: Philotas, inquit, verone an mendacio liberare ſe à cruciatu voluerit, anceps conjectura eſt, quoniã & vera confeſſis & falſa dicentibus idem doloris finis oſtenditur. Quæſtiones quidẽ (verba ſunt Tull. in Top.) hujusmodi ſunt, ut quæ verberibus torti & igne fatigati dicunt, ea veritas ipſa dicere videatur. Nihilominus ea tormenta non rarò gubernat dolor, moderatur natura, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tantis rerum anguſtijs nihil veritati loci relinquatur.

XII. Modum autem brevibus ex Peucero adducemus. Rem ita geri narrant. Ineuntibus diebus, qui proximi Natalem Domini ſeqvuntur, circumit puer, altero pede claudus, qui illa diaboli mancipia, quorum ingens eſt numerus, convocat, & ſequi jubet; quod ſi ceſſant aut cunctantur, mox alius vir procerus flagello ex loris ferreis ijsq; flexibilibus connexo perpulſos, cogit, ut properè procedant. Is cædere miſeros

ros adeò graviter dicitur, ut multo tempore veſtigia ex vibicibus reliqua, cum magni doloris ſenſu, corpora vellicent. Quamprimum autem accinguntur ad ſequendum, mox exui priori ſpecie & lupinâ indui videntur. Conveniunt aliquot millia, præit dux cum flagello ferreo, ſequitur agmen eorum, qui ſe luporum ſpecie falſa perſvaſione circumdatos credunt: educti in obvia pecora irruunt mordicus, & apprehenſa dilacerant, rapiunt quæ poſſunt, dant & alia damna. Sed homines attingere & lædere, non illis fas eſt. Ad flumina ubi acceſſerunt, dux flagelli ictu aquas findit, ut dehiscere & diſcedere videantur, relicto ſicco tramite, quo tranſeant. Exactis diebus XII. diſſipatur agmen, rurſus ad ſe quisq; depoſita lupi, & adſumpta hominis ſpecie, revertitur.

XIII. Mutationis rationem talem eſſe ajunt, qui mutantur converſione momentanea concidunt ſubito, ut qui morbo attoniti corripiuntur, & jacent exanimis ſimiles & ſenſu carentibus & vitâ. Non abeunt autem, nec loco moventur collapſi, neq; ita jacentes ulla veſtiuntur ſpecie luporum, ſed cadaveri ſimiles evadunt, & voluti atq; agitati reliqua in ipſis vitæ ſigna evidentia nulla præbent. Confirmant hanc perſ[illegible]nem *λυκάονες* ipſi, qui fatentur, non detrahi corporibus figuram humanam, neq; accommodari lupinam, ſed impelli animas tantum, ut egreſſæ ex ſuis carceribus, in lupina corpora involent, & ab iisdem, certo ac præſtituto tempore circumferantur. In Collegium *λυκανθρώπων* pertrahi dicuntur, qui cum his verſantur crebro, & compotant. Infici enim conſvetudine horum & compotationibus creduntur. Et qvanqvá crebrò hoc modo afficiuntur ut videantur fieri lupi, nunquam tamen in unum colliguntur agmen, niſi ijs quibus dictum eſt diebus.

XIV. Talibus luſibus delectatur diabolus, ut miſera illa & DEI ignara mancipia ſua, excruciet etiam in hac vita, ſupplicijs torturis excarnificatione corporum, & modis aliis. Plurimi enim propterea, quod ſe luporum ſpecie credunt damna inferre alijs, pœnis publicis afficiuntur. Sed quærat hic quispiam; Quid de vulneribus, quæ ſibi inflicta ambigui putant

 lupi

lupi, cum luporum circumerrarent ſpecie, ſentiendum ſit? Non opus eſſe ſtrictâ Alexandri M. machærâ, quâ hic nodus Gordius ſolvatur rumpaturq; exiſtimamus. Rem totam Excell. ac Clariſſ. Phyſicus noſter l. Inſt. 2. c. 4. q. 10. conficit. Diabolus, inquit, homicida eſt, qui corpora magorum ſauciat, ut in errore miſeros confirmet. Virgilij de Alecto carmen pulcrè diaboli vafritiem fraudesq; pingit. Tibi nomina mille, mille nocendi artes, quibus infinita varietate variatis infinita in contumeliam DEI & ſeductionem perniciemq; generis humani molitur: ita mira calliditate ac multiplici diſcrimine, inde usq; ab initio impoſturas ſuas invexit, miſerisq; obtruſit mortalib9. Atq; hæc pro deſtructione transformationis ſufficiant, nunc etiam brevitate qua par eſt impoſſibilem illam animarum è corporibus quoad tempus abreptionē, & totalem eductionem, atq; cum ijsdem denuò reunitionem demoliri conabimur; ſimpliciter falſum eſſe ſtatuentes adſertum illorum, qui ſtatuunt, animas ſagarum vi Sathanæ extra corpora abripi & ad nocturna transferri poſſe comitia, ad quæ poſtqvam conventū fuerit, Baccho litari, corpora cupediis ac pulpamētis variis refici; falſitatē ſequenti manifeſtabimus ſyllogismo.

XV. Quicquid veram infert mortuorum reſurrectionem, illud toti naturæ & omni creato ſpiritui eſt impoſſibile. Atq; talis animarū abreptio, & cum corporibus mortuis reunitio, veram infert mortuorum reſurrectionem. E. Talis animarum abreptio & cum corporibus mortuis reunitio toti naturæ & omni creato ſpiritui eſt impoſſibilis Ratio ſubject. *majoris* eſt; Mortuorum reſurrectio fidei non rationis eſt articulus, non ergo rationi, ſed fidei poſſibilis. Non rationis decempeda menſurandus, ſed fide ſimpliciter credendus. Conf. Himmel. diſp. XXXII. Syntag. Θ. 9 Non naturæ ſed DEI opus, non Angelorum, ſed DEI opus, non creati, ſed increati ſpiritus opus. *Minor* claret; erit enim vera mortuorum reſurrectio, cum corpora noſtra à morte ad vitam revocabuntur, atq; eorundem cum animabus ſuis fiet reunitio At, quis has cum corporibus uniet? diabolus? neutiquam. Hoc enim ſi ſpiritus maligni poſſent efficere vires, animas à corpore abripere, & easdem viciſ-

ſim

ſim cum corpore reunire, utiq; hominem à mortuis verè reſuſcitare poſſet. Quod tamen ſolius creatoris opus eſſe nemo, niſi cui ſacra occultata eſt pagina, inficias ire poterit. Solus ille, ſolus ille, inquam, qui eas creavit rurſus eas reſuſcitare potens eſt.

XVI. Nihil eſt, quod hic operoſe ſagarum adducere conentur propriam confeſſionem, ſe corporibus domi relictis, quoad animas abripi, commeſſando ac tripudiando genio pluſculum liberrimeq; indulgere. Confeſſio enim, ſi quæ alia, hæc ſane maxime anceps, originem ex judicio corrupto, & Phantaſia depravata trahens. Et ſanè meritò ob hoc ipſum dubitaverit quispiam fidem confeſſioni ipſarũ adhibere. Ridicula quippe res eſt, animas à materiá ſeparatas choreas ducere, ac tripudia exercere, ſiccine res plane corporea, incorporeæ tribuenda erit animæ? Non eſt etiam quod objiciant rem non eſſe negandam, ubi modus latet. Concedi poteſt tota illa objectio; ic. ignorato modo non ſtatim rem ipſam eſſe negandã, ſi ſcilicet res certa ſit & τὸ ὅτι indubitatum. Cum verò de ipſa re adhuc ſub judice lis eſt, animus veritatis avidus ſubſiſtere nequit.

XVII. Audiamus ſuper hoc argumenti genere inſigniter diſcurrentem Peucerum. Non, inquit, excedit è corpore humana anima verè, ut in lupinam commigret diaboli coactione, etſi ex collapſis proſilire interdum lupinæ ſpeciæ ſpectra conſpiciuntur. Nec ſuam corpora formam exuunt, aut mutant ſed devinctis illis ſomno profundiſſimo, motum horum inhibet, ac reſpirationem tollit, aut occultat omnia vitæ argumenta, & ne ſoffocetur, cordis calorem, vel afflatu aeris ſufficientis, vel leni prorſus & obſcuro motu ventilat, aut faſcinat aſtantium oculos ne quod de reſpiratione reliquum eſt, animadvertant. Ut ita prorſus animæ ἐκστάσει impeditæ aut diſtractæ à miniſterio regendi corporis & in ſeſe revocatæ occupentur phantaſmatibus ac ludibriis effictis & immiſſis à diabolo de iis rebus, quas interea perficit cum opinione tali, ut ipſæ de impreſſa δοκήσει ſeu phantaſia videantur facere ea, quæ phantaſmata pingunt ac perſvadent. Item non abſurde,

nec

r . loco moventur collapſi, neq; ita jacentes ulla veſtiuntur ſpecie luporum, ſed cadaveri ſimiles evadunt, & voluti atq; agitati reliquæ in ipſis vitæ ſigna evidentia nulla præbent. Rem ita eſſe, prout Peucerus ait, hiſtoria veriſſima comprobabit.

XIIX. Teſtem adduco ocularem, qui unus omnium inſtar eſſe poterit, & plusquam aliâs decem auriti. Publicè in Gymnaſio Rigenſi data occaſione ſuper hac materia diſcurrendi, Vir Plurimum Reverendus Excell. ac Clariſſ. Dn. M. Hermannus Samſonius Superattendens, S.S. Theol. P.P. & Templi Petrini Paſtor, b. m. fideliſſimus, recenſebat. Se coram hominem talem ἐκστάσει correptum oculis, in magna etiam aliorum hominum frequentia immotè ſtertentem, luſtraſſe. (Quod & Camerar. l. c. cent. 1. pag. 328. teſtatur. Interea, ii, qui ſe in lupos credunt transformatos, alto immerſi ſomno diaboli ſtudio, alicubi jacere comperiuntur, quorum ſomnia iis confundit Imaginibus, quas hominum oculis præſtigiosè in pueris vel inſectandis vel forandis, ſive armento lædendo, aut longè lateq; hinc inde vagando objicit veterator ille.) moram ἐκστάσεως itidem notaſſe, alios hominem velut truncum coram proſtratum excitare conatos, alios fuſtibus eum probè probeque, ſine tamen omni doloris, intra ἐκστάσεως tempus, ſenſu, dedolaſſe, atq; vulnus aliquod leve faciei inflixiſſe. Ἐκστάσεως autem elapſo tempore hominem alto antea ſopitum quaſi ſomno expergefactum, miros divagationis ſuæ luſus expoſuiſſe, tot camporum peragrationes, tot pecorum dilaniationes, tot itidem gregum diſſipationes, faſcino ſenſibus diaboli fraude ligatis jactaſſe. Cumq; rogatus eſſet, undenam cicatrice faciem fœdaſſet, canis morſum, armenta gregesq; â luporum irruptionibus arcentis eſſe ferebat. Cum vero rogando inſtarent, qui totum quaſi tuber eſſet corpus? pedi Paſtoris notas eſſe ferebat, quo ſe lupum verberibus â pecoribus abegiſſet. Tanta ſc. eſt diaboli fraus, tanta ſc. illius aſtutia miſeris hominum demendis mentibus. Tantus tamq; varius in decipiendis, miſeris mortalibus aſtus. Trunci inſtar præſentibus omnibus proſtratus, moram ἐκστάσεως attentè obſervantibus, tantas dilaniationes

.tiones jactare, tot gregum invaſiones recenſere, initiũ omnium, quæ in obſervatione ejus præceſſere.

XIX. Vera item narratio eſt, inquit Peucer de Divinatione de quodam lycaone ruſtico, qui cum apud præfectum ſuum, non procul ab urbe Rigenſi cœnaſſet, madidus inebriatus, ſub ſomni tempus, ſubitò é ſella decidit [illegible]s in pavimentum cœteris ſpectantibus. Præfectus homo ſapiens quod lycaonem eſſe ſtatim agnoſceret, jubet familiam, hoc relicto, cubitum ire. Poſtridiè reperitur equus in agro per medium diſſectus: conjectura Præfecti, culpa confertur in eum, qui pridiè exanimatus, ſub noctem, mane revixerat, ducitur is ergò in carcerem, & interrogatus, mox confitetur factum: ait ſe veneficam, ignei papilionis ſpecie circumvolitantem perſecutum eſſe, (gloriantur enim lycanthropi quod ad arcendas veneficas conducantur) hanc ut declinaret periculum, ſub equo forte ibi paſcente ſe abſcondidiſſe, ubi ſe arrepta falce, dum petit validius veneficam, intentatum ictum arte eludentem, ex improviſo & imprudenter equum diſcidiſſe. Ad hunc modum ludunt inter ſe diaboli, de hominum pernicie.

XX. Argumenta quæ pro ſe lycanthropiæ propugnatores atq; poſſibilitatis eductionis animarum defenſores adducunt, conflictui reſervabimus. Lutheri noſtri breviter ſubjiciam mentem, quidnam ille ſuper hoc ſentiat animali. Unſere Teutſchen, ait T.VII.Jen.Germ.fol.284 Heiſſen einen Beerwolff, das die Griechen ſo es ihnen bekand geweſt ἀρκτόλυκον genandt hätten. Dieſes Thier iſt zwar ein Wolff / aber es iſt vom Teuffel beſeſſen/zerreiſt und zerbricht alles &c. Atq; hæc ſuper hoc argumenti genere in præſens propoſuiſſe ſufficiat. Mentem meliorem his, qui falsà hactenus lycanthropiæ perſvaſione ducti, precamur; quos etiam diaboli hactenus faſcinavit fraus atq; aſtus, ut verum relinquentes DEUM, ejus ſe mancipарint ſervitio, qui ſibi præſtita, æterno exitio, officia,

cia,

cia, remuneratur, iis, ut in viam redire, atq; miſeram ſuam DEI agnoſcere ope poſſint, ſerio optamus!

Si (verò concludam verbis Gvatzii de Civil. converſat. p. 58.) non omnia ad cujusvis palatum in hac conſideratione poſita eſſe inveniantur, quod uti alias impoſſibile, ita in hac intricata vix præſtari poteſt materia. Socratem (Vid. Diog. Laert. in vita Socrat. pag. mihi 58.) hoc in noſtro epulo appoſito imitabimur, & nobis omninò perſvadebimus, hoſpites, ſi qui boni, qvicqvid appoſitum, æqui boniq; conſulent: Si vero mali, ne quidem hoc, quantulum etiam quantulum ſit, digni æſtimabuntur.

Soli Deo Gloria!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE